Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Reden und Arbeiten der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420, 1-4

49 Vorträge in wörtlicher, meist eigenhändiger Wiedergabe - Cod. Karlsruhe 3420,1

Sonntag, Karl Gottlob

[Karlsruhe], 1772-1776

[Bohm, Ernst Dieter]: ad locum plinii Lib. 3, Ep. 8, Fides in presentia eos quibus resistit, offendit dein ab illis ipsis fuspicitur laudaturas 8 Juli 1775

urn:nbn:de:bsz:31-99825

Visual Library

dd: 15ten July. 427.

Ad Locum Plinii Libr: III., Epist 8.,

Fides in præsentia eos quibus resistit, offendit dein ab illis ipsis suspicitur, laudaturque.

demonstravit,

Ernestus Dieterius Bohm.

Theol: Stud:

8 Juli 1775. – 2478. I oz

OECONOMIA.

<u>Exordium</u>, optima queque res ad offendendos quandoque aliorum animos apertissima. Sic eximia virtus, splendida merita, factaque magna a multis saepe in offensionem trahuntur.

<u>Thema</u>; Veram fidem offensam haud vereri. Hic duo erunt mihi demonstranda.

1., Quod fides vera offensam saepe incurrat.

2., quod major splendidiorque ejus ex offensa laus fit.

<u>Ad Primam Partem.</u> Offensa nempe incurritur,

a., Ex improbatione minus recte factorum

b., Ex obtestatione, ut recta fiant,

c., Ex propugnatione veri,

d., Ex confutatione errorum,

<u>Ad Secundam Partem</u> Exin major redditur et illustrior fidei laus; quippe,

a., Hoc fidei proprium est, ne ullius incommodi metus nos illinc abducat,

b., Sicque ab adulatorum grege demum distinguimur,

c., Accedit tandem eorum testimonium quibus vel invitis consultum est recte nos, amanter, fideliterque fecisse.

Director amplissime!
Sodales honoratissimi!

~~Est~~ Ea est plerorumque hominum
depravatio, ut optima quaeque et praestan-
tissima, ad aliorum animos laedendos quan-
doque aptissima videantur. Ita videmus
multa subinde laudabiliter facta insti-
tutaque, quorum utilitas claris iisque cer-
tissimis indiciis jam comprobata, in com-
munem usum salutemque vertit, neque ad
privatos modo sed ipsius civitatis regno-
rumve atque populorum publicam feli-
citatem extenditur, ab improbis nihilo
secius in contrarium pejusque detorta, ho-
nori detrahendo, laudibus obtrectandis,
atque etiam auctoribus diffamandis ad-
hiberi. Hancce veritatem et historiarum mo-
numenta testantur, et quotidiana experien-
tia abunde confirmat. Quod si cogitationibus
nostris vel antiquissima tempora perlu-
stramus, ubivis exemplorum copiam licet
reperire. Quot praestantissimae virtutes?
Quam multa splendide ac fortiter et cum
publico bono facta? Quam clara saepe
et exsplendescentia merita, malignitati
atque perfidiae lusum dederunt, et in
offensam tracta sunt ab his, qui eo

magni=

magnitudinis et claritatis procedere non valuerunt? Intueamur Quintum Catulum, qui, in maximo clarorum hominum proventu, excelsum virtutis locum obtinuit, cujusque praeclare facta et splendida merita invidiae atque odio certamen praebuere. Ecquis Syllam ignorat, cujus fides Mithridatem compescuit, Socialis belli fluctus repressit, Cynnae dominationem fregit, multis propter haec vexationibus extracta. Taliaque et recentioris ac nostrae aetatis historia exhibet. Virtutis ab invidia profanatae; merita, ut splendidiora, ita acerbius insectantium; facta magna iniquo et saevo quandoque sermone interpretantium exempla ubique occurrunt. Neque vero hic optimum quemque moveri fas est. Stat virtus, contra haec immota ac imperterrita. Qua de re paulo copiosius jam dicturus,

Veram fidem offensam haud vereri,

benigne Vobis audientibus, demonstrare institui. Duo vero potissimum in hujus rei tractationem cadere mihi videntur:

Primum. ut ostendam,
Cur fides vera offensam saepe occurrat.

Dein. quod major splendidiorque illius ex offensa laus efficiatur.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Sunt autem multa omnino fidei partes, quas singulas exsequi longius est. Potiores aliquot hic modo complecti sufficeturum arbitror. Praecipuum autem fidei esse, ut, quaecunque perperam facta sunt, <u>improbentur</u>, nemo ibit infitias. Quo ipso facillime offensa saepe incurritur. Est enim tam prava multorum hominum indoles, ut, quae minus recte ipsi fecerunt, recta tamen ab aliis haberi atque etiam laudari cupiant. In quo duplex perversitas manifeste continetur. Nam et faciunt mala, et tanquam bona eadem probari aliis volunt. Hic fides vel maxime elucescit. Neque enim unquam ex cupiditate voluntatique hominum servit, sed ex veritate cuncta aestimat, malefacta libere, improbat, non habita illius, qui fecerit, ratione. Idque saepe numero major quaedam officii ratio jubet; quod in iis potissimum accidit, e quorum judicio aliorum mores plurimum emendari fas est. Neque enim emendationi locus superest, nisi, in quo peccatur, liberiori animo ostentatum sit.
Quemadmodum vero in hoc jam, quod minus recte facta improbantur, indignationis alienae causa posita est: ita vel

maxi=

maxime etiam molesta accidit plerisque **obtestatio**, ut recta fiant. Quum videamus tardam plurimorum in bona quaeque et lentam admodum esse naturam, ut crebris admonitionibus et sollicitationibus impelli concitarique necesse habeant: manifestum est, in eo fidem cerni posse, quum quis, officio satisfacturus, non modo recta edocet et praecipit, verum etiam, si res poscat, acrius instat obtestaturque ut salutariter praecepta ab iisdem, quibus data sunt, studiose accurateque serventur. Quae pars officii non cadit modo in parentes atque doctores, quibus liberorum, vel quicunque ipsis erudiendi formandique traditi sunt salus et prosperitas prae caeteris curae esse debet; sed in universum boni fidique hominis illud munus habeatur, ut quavis occasione in rectum et bonum et alios impellat. Neque vero fieri potest, quin ex hoc ipso offensam saepe incurras. Nam ut quisque a rebus bonis agendis alienior, et in contraria magis ingenio suo propendet, ita minus gratiae inest, si paulo fortius et acrius iteratoque eo impellas. Ac videtur id quodammodo naturale esse. Quoties enim in rectiora impellimur, in-

dicis est, non tam recte nos, quam debemus esse constitutos. Et habet hoc molestiæ quælibet emendandi ratio, ut sensus perversitatis sic demum excitetur; quem quum plerique fugiant, atque velint plerumque videri meliores, atque sunt, admoneri etiam gravantur.

Jamque porro propugnatio veri multis ingrata. Omnino autem nulla res magis hominem decet, quam veritatem utique quaque tueri. Nempe quum veritas ejusque indagatio omnium, quæ in hominis naturam conveniunt decora et ornamenta præcipuum sit, indeque illius nobilitas vel maxime elucescat: qui naturæ suæ dignitatem servare cupit, inprimis etiam veritatis studio eum teneri oportere, quisque intelligit. At ipsa hæc veritas, quantopere a perverso multorum ingenio dissideat, non erit difficile arbitrari. Distant enim illinc longissime pravæ cupiditates verumque nocentium studia, quibus velut obsidentur, qui sensibus nimis indulgentes, quæque illis delicias suavitatemque adferunt, unice sectantes, rationis præceptum detrectant. Falsa et inani verum specie decepti, solent illi veritatis lumen vitare, suaque mentis caligine ita quandoque offundi, ne possint

verum

verum intueri. Est adeo fidei veræ, quan=
tum potest, mentem tenebris involutam
reducere in viam veritatis tuendæ mu=
nus quanto præstantius, et homine digni=
us, tanto ad offensam apud alios con=
trahendam pronius idem apertiusve.
Neqꝫ enim sunt ejusmodi omnes homi=
nes, ut vera æquo animo patiantur. Atqꝫ
si verum obstinate tuearis; siqꝫ iisdem
adversaris hoc sola sæpenumero ipsis
irascendi causa videtur sat gravis. Ejus
rei exemplorum copiam possim enu=
merare, nisi verendum mihi esset, ne
longius evager.
Finitimum his, quæ disputata jam sunt
illud est, quod Confutatio quoqꝫ erro=
rum, fidei veræ subjicitur. Quemadmo=
dum cujusqꝫ erroris natura veritati adeoqꝫ
et naturæ humanæ, cui veritatem unice
inesse decet, contraria est: ita nihil eo
foedius, aut nocentius homini esse, liqui=
do apparere existimo. Est vero tum in
aliud quodqꝫ pravitatis genus, tum maxi=
me in errores ingenium quorundam
admodum proclive. Atqꝫ haud raro eve=
nit, ut, qui ex nobismet orti; et si ita
loqui fas est, geniti sunt errores, hisce

pri=

primis oblectemur. Quod accidit subinde novitatis studio, quando in opiniones, ab aliorum sensu amotas, mens defertur hisque, seu inventis suis, magnopere delectatur. Ingratissimum facit, qui falsitate reiecta hac velut suavitate illos privare ausus est. Idque vitium, quo in falsa fertur ingenium, sicuti a nulla ætate prorsus abest, ita propiori modo adolescentiam afficere videtur. Multo enim hæc ætas, partim levitate sua, partim ob maturæ scientiæ defectum, vanis persuasionibus et ludicris speciebus patentior est; et longe facilius præjudicatis opinionibus et vario errorum genere implicatur. Quo majori cura et sollicitudine cavere debent, qui juventutis commoda quærunt, ne hoc foedo servitio subjecti adolescentium animi marcescant, et opprimantur. Tantum abest, ut propter illud evellendi errores studium pauloque acriorem falsi confutationem, incusandus quispiam merito putetur, ut summæ potius fidei documentum in eo appareat.

Quantumvis vero his offensæ sibi quis contraxerit, major tamen erit propter

hac=

hoc est praestantior laus, magisque fides illu=
strabitur. De quo restat mihi jam di=
cendum. Multis id rationibus adfirmare
posse mihi videor.
Est autem hoc fidei proprium, ne ullius
incommodi metus nos illinc abducat.
quippe fides vera ea dicenda non est,
quum quis, quid sibi conveniat, aut pro=
ficiat, id solum respiciat neque molestiae
aliquid aut detrimenti ob majus alie=
num bonum recipere sustinet. Fidum
quicunque se praestare laborat alteri, an=
te omnia in eo requiritur amor. Quumque
sit amantis studiose, ne quid amato ma=
li eveniat, omnibus modis praecavere: hoc
ardentius amare intelligetur, quo minus
incommoda, quaecunque ab illo studio in se
provenientia, recusaverit. Quodsi quis amo=
rem sui in eo ponat, ut, a quo amari se
persuaserit, in omnibus rebus is obsequa=
tur, facta omnia, sive recte seu secus,
probet, laudet, liberaliterque assentando
et indulgendo gratiam quaerat unice, ne
corrigat ulla, ne reprehendat, ne meli=
ora doceat, ne in recta impellat, ne prava
dissuadeat, ne cupienti obsit; is profecto

pemini=

parum intelligat necesse esse veri amoris naturam, et male sibi consulat. Quo promtius illud efficitur, ut majorem fidei laudem mereatur, qui amore ductus, ne ipsius quidem, quem amaverit, indignationem suscipere recusat, modo recte ei consultum sit.

Eoque ipso ab adulatorum grege demum distinguuntur fideles homines ac vere nobis amici. Adulandi quippe et benevolentiæ captandæ ut promtissima, ita multorum indignissima hæc ratio est, ut cujusque ingenio, utcunque pravo et a recto amoto, serviant, libidinibus blande indulgeant et quoquisque more suo et studio inclinatur, ire patiantur, etiam si cum apertissimo ipsius damno fieri intellectum sit. Illi quidem non his modo, quæ peccata sunt, lenimenta adhibent excusarique facile posse persuadent; verum etiam, si quid gravius peccaretur, eadem lenitate et facilitate essent prosecuturi. Nimirum fiunt hæc ex adulatorum ingenio, sibi commoda duntaxat quærentium, nulla alienæ salutis cura. Isto vero genere hominum nihil omnino nocentius, neque hac peste majorem ullam dici posse,

par est a quoque intelligi. Namque dum plausum ferunt, et assensum, qui mala patraverint, et moribus et ingenio corrupti; hoc liberius sibi indulgent, plusque dedecoris et probri et majora crimina contrahunt et accumulant. Quo quum ita se habeant, hoc notior et praestantior et nobilior fides erit, quo longius a perditissimis adulantium moribus recesserit.

Plurimumque laudis ex eo accedit, quod ipsorum tandem, quibus vel invitis consultum est, testimonio confirmatur, recte nos, amanter, fideliterque fecisse. Equidem pravitas animi, aut violentia cupidinis, ad tempus mentem a veritate potest divertere, quo minus quis aut videat, quibus rebus saluti sua prospiciatur, aut, si viderit, nolit certe ea ratione sibi consuli. Sed plerumque tamen, recollecto animo, maturitate judicii, aut ipso etiam malorum, ex nimia licentia indulgentiaque nascentium, sensu, eo sanitatis reducitur homo, ut male secum actum intelligat, quoties salubriora consilia fidasque admonitiones adsper-

natur,

natus, liberius aut sibi, aut aliis in prava ducentibus, obtemperavit. Itaque dispari et contraria fidei et pravae adulationis natura, disparia etiam ac diversa sequuntur. Nempe fides, initio illis, quibus obstitit eum ratione, ut ipsis consultum esset, invisa, ingrata, molesta fructum constantia duplicem reportat tandem, ut et ipsa laudetur eoque magis colatur, quod vinci non potuit, et qui prius incusaverint, asperitatemque subinde objicerint, poenitentia ducti, iniquius se fecisse confiteantur.

Tunc ergo demum fides vera splendescit, justis laudibus ornata, eoque jam carior, quo fuit antea, a noxa maloque alienior. Adeo verum expeditumque illud est, acutissimi auctoris dictum: Fides in praesentia eos, quibus resistit, offendit, dein ab illis ipsis suspicitur laudaturque.